



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CLXXVI. Confirmatio Decreto Innocentii XI. quo Græcis cujuscumque
conditionis prohibentur quæstuationes, singulis Cardinalibus Legatis, &
Nunciis Apostolicis, ceterisque Ecclesiarum Prælatiis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

Obstantibus
derogat.

quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit ipsius Congregationis Presbyterorum secularium, seu Collegii, aliisque quibuscumque, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praevisorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis
credi jubet.

§. 8. Volumus autem ut eorumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 22.
Martii 1736.
An. VI.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Martii 1736. Pontificatus nostri Anno VI.

F. Card. Oliverius.

CLXXVI.

Confirmato Decreto Innocentii XI. quo Graecis quoscumque conditionis prohibentur quaestiones, singulis Cardinalibus Legatis, & Nunciis Apostolicis, ceterisque Ecclesiarum Praelatis committitur eis non tantum Literas Quaestuationis, sed quaestitas quoque pecunias adimere.

CLEMENS PP. XII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*Decretum
Innocentii
XI. quo Graecis interdic-
tur eleemo-
synas qua-
suare.

§. 1. **D**UDUM emanavit a fel. rec. Innocentio PP. XI. Praedecessore nostro in Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotii Propagandae Fidei praepositorum coram ipso Innocentio Praedecessore habita Decretum Typis subinde impressum, ac divulgatum tenoris qui sequitur videlicet: Die 29. Januarii 1677. In Congregatione generali de Propaganda Fide habita in Palatio Apostolico coram Reverendissimo Domino nostro Innocentio Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis Cardinalibus ejusdem Sacrae Congregationis Decretum, ne permittatur Graecis quoscumque status, & conditionis &c. pecunias quaesitare, vel quovis alio modo eleemosynas petere. Cum Sancta loca Hierosolymitana, in quibus verbum caro factum est, & nostra reparationis Mytheria, Deo miserante, completa sunt, haecenus administrationi, & custodiae S. Francisci de Observantia a Sancta Sede Apostolica commissa, nuperrimis hisce diebus a Graecis, schismaticis subornatis aulae Turcicae ministris de manu doctorum Fratrum S. Francisci summo latinorum dedecore usurpata sint iis, praecipue subsidiis, quae ex fidelium Christianorum eleemosynis iidem Graeci perceperunt; Ut huic scelerati modus imponatur, neve ex fidelium pietate schismaticis, & perpetuis Ecclesiae Romanae hostibus aditus ad novas cumulandas injurias aperiatur, Sanctissimus Dominus Noster Innocentius PP. XI. suorum Praedecessorum Summorum Pontificum vestigiis inharendo etiam de Consilio, & Voto Eminentissimorum, & Reverendissimorum

DD. S. R. E. Cardinalium Congregationi de Fide Propaganda praepositorum omnibus, & quibuscumque S. R. E. Cardinalibus a latere Legatis, Nuntiis Apostolicis, Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Episcopis, Abbatibus, ceterisque omnibus Ordinariis de utroque Clero Saeculari, & Regulari Ecclesiasticam Jurisdictionem tam ordinariam, quam delegatam in Jurisdictionibus, sive suis Diocesisbus respective exercentibus, in virtute sanctae obedientiae injungit, atque inhibet, ne de cetero quibuscumque Graecis tam Saecularibus, quam Ecclesiasticis, etiam Regularibus quacumque Dignitate, quamvis Abbatibus, seu Archimandritibus, Episcopali, Metropolitana, Archiepiscopali, sive Patriarchali fulgentibus tacite, vel expresse sub quocumque praetextu permittant pecunias quaesitare, vel quovis alio modo eleemosynas a fidelibus petere, etiam si de eorum unione cum Ecclesia latina per abjurationem Schismatis, & fidei Catholicae professionem in manibus Episcoporum, vel Inquisitorum contra haereticam pravitatem literis testimonialibus docuerint, vel per alios Episcopos, & locorum ordinarios similis quaestuationis facultates in scriptis acceperint, vel ad fidem de novo converiti aliorum Schismaticorum iram, & insidias effugere conati sint, vel ad effectum reparandi Ecclesiae ab Infidelibus dirutas, & non obstantibus aliis quibuscumque praetextibus, & causis: Immo potius omnes, & singulas literas patentes a quocumque Praefule, etiam speciali nota digno, & a Tribunalibus Curiae Romanae, & ejusdem S. Congregationis de Fide Propaganda (dummodo contentis in praesenti Decreto specialiter, & expresse non fuerit derogatum cum posteriori data) statim ac in eorum Ordinariarum manus pervenerint, ad Sacram de Fide Propaganda Congregationem transmittant. Et ne contra praemissorum omnium observantiam allegari possit futuris temporibus ignorantia, eadem Sanctitas Sua de Consilio eorumdem S. R. E. Cardinalium voluit, ut huic Decreto, aut etiam literis ad ejus formam expeditis, seu expediendis sive scriptis, sive impressis ab ejusdem tamen Sacrae Congregationis Praefecto signatis, sigilloque solito munitis fides eadem adhibetur, quae ipsis originalibus praestaretur, non obstantibus quibuscumque. Datum Romae die 4. Februarii 1677. P. Card. de Alteriis Praefectus. Loco + Sigilli. V. Cerrus Secretarius.

§. 2. Ac postmodum re. me. Alexander Papa VIII. Praedecessor etiam noster supplicat omnibus pro parte tunc pariter existentis Bernardi Josephi a Jesu Maria Fratris expresse professi Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorem nuncupatorum, ac Commissarii, & Procuratoris Generalis in Romana Curia Terrae Sanctae sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus per suas in simili forma Brevis die 21. Octobris 1690. expeditas literas idem Decretum toto illius tenore inserto, approbavit, & confirmavit, ac alias prout in Alexandri Praedecessoris literis praefatis uberius continetur.

§. 3. Cum autem ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit non deesse huiusce etiam temporibus Graecos Schismaticos, qui subdolis artibus, ac ementitis praetextibus Christiani fidei pietatem circumvenientes, in diversis Catholicis Regionibus pecunias quaesitare, seu eleemosynas colligere praesumunt iisque ad eorum schisma confovendum, eorumque pertinacius retinendos, nec non ad ipsius verae Fidei, & Catholicorum perniciem contra eorumdem fidelium mentem, & intentionem, nequiter abutuntur. Hinc est, quod Nos firmiori Decreti, & literarum praefatarum executioni, & observationi quantum cum Domino possumus prospicere, simulque damnatas quaestuationes, seu eleemosynarum collectas hujusmodi impedire, ac proscribere volentes, Motu proprio,

Decretum
hoc confir-
mavit Ale-
xander VIII.Iterum con-
firmat Cle-
mens.

ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, præsertim Decretum ab Innocentio emanatum, præfataque literas super ejusdem Decreti approbatione, & Confirmatione ab Alexandro Prædecessoribus editas, sicut præmittitur cum omnibus, & singulis in eis respective contentis harum serie approbamus quoque, & confirmamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, vim, & efficaciam adjungimus.

§. 4. Præterea eisdem S. R. E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, dictæque Sedis Nunciis, Abbatibus, ac locorum Ordinariis quibuscumque in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub penis nostro, ac Romanorum Pontificum Successorum nostrorum arbitrio reservatis motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut non solum omnes, & singulas literas patentes, facultates, licentias, scripturas, & documenta, quæstuationem, seu collectam eleemosynarum hujusmodi quoquomodo concernentia, quæ Græcos præfatos habere, ac circumferre compererint, sibi tradi, ac consignari faciant, & ad memoratam Congregationem Cardinalium negotii Propagandæ Fidei præpositorum transmittant, ut præferatur, verum omnem quoque pecuniam, seu eleemosynas, quas eisdem Græcos ex enarrata quæstuatione, sive collecta eleemosynarum accepisse deprehenderint, sive penes ipsos Græcos, sive penes alias cujuscumque gradus, status, & conditionis personas, etiam in forma Depositæ extiterint, statim sequestro supponant, ac quanto citius fieri poterit, mitti pariter curent ad prædictam Congregationem Cardinalium, a qua postmodum pecunia, seu eleemosyna præfata in commodum, & utilitatem Propagationis ejusdem Fidei Catholice juxta ipsius Congregationis morem, & Institutum, & non in alios usus integre convertantur, & erogentur.

§. 5. Decernentes easdem præsentibus literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfata Cardinales etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quacumque dignitate, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstant. præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quibuscumque, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, styli, & consuetudinibus, privilegiis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibus etiam derogationum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter ex-

pressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expresse ac plenissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut ipsorum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Martii 1736. Anno VI.

F. Card. Oliverius.

Fides transumptorum.

Dat. die 26. Martii 1736. An. VI.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, quo declaratur licere Fratribus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Congregationis Hispanicæ promoveri ad lauream Doctorem, & Magisterium in publicis Universitatibus in eum finem dumtaxat, ut Cathedras obtinere, & exercere valeant, ita tamen, ut hujusmodi assumptio, seu promotio nullum penitus gradum neque titulum seu prærogativam in Ordine prædicto inducat, sed circa hujusmodi graduum exclusionem, exacte servant, quæ per Constitutiones ipsius Ordinis præscribuntur.

C L E M E N S P P . X I I .

Ad futuram rei memoriam.

S. I. **N**uper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis S. Francisci de Paula Minimorum nuncupat. Provincialium Hispaniæ nobis exposito, quod ad hoc, ut quis ad publicas Cathedras Universitatum Studiorum Generalium in eadem Hispania existen. concurrere valeat, oportet cum prius magisterii gradum in aliqua ex dictis Universitatibus suscepisse; Fratres vero prædicti gradus Magisterii hujusmodi incapaces, eatenus reputati fuerant ex verbis Regulæ ipsius Sancti Francisci ibi: Ubique tamen observetur, quod nullus ad Magisterii seu alium gradum assumatur: indeque factum erat, ut nulli ex Fratribus prædictis patuerat aditus concurrenti ad prædictas Cathedras in grave detrimentum tum Studiorum literarum tum plurimorum Religiosorum habiliū ad istiusmodi Cathedras obtinendas, quæ non modicum decus, & utilitatem prædictis Provinciis allaturæ forent, & in eadem expositione subjuncto, quod diligentius perpenſis, enarratis verbis Regulæ, luculenter appareret mentem ejusdem Sancti Francisci fuisse ad retinendam in dicto Ordine humilitatem prohibere dumtaxat suis Alumnis promoveri ad Magisterium, ac potiri intra dictum Ordinem iis prærogativis quibus Magistri aliorum Ordinum Regularium fruebantur, cum verisimile non esset Religiosis suis vetare voluisse progressum in literarum studiis, ac concursum ad publicas Cathedras hujusmodi, ut alios docerent, & instruerent, unde, si verus sensus prædictæ Regulæ retineretur, seu explicaretur permitti posse videretur Fratribus dictarum Provincialium Hispaniæ suscipere Magisterium prædictum in eum solum finem concurrenti ad easdem publicas Cathedras, qui tamen in ipso Ordine titulo, ex prærogativis Magisterii gauderent, quando quidem menti ejusdem Regulæ non repugnabat, quod Fratres prædicti Ordinis publice docerent, uti servatur in Italia, & apud alias Nationes, ubi sine titulo, & prærogativis Magisterii plures ex eis in publicis

Provinciæ Hispaniæ petitio.

Cathe-

Quibuscumque Legatis, & Nunciis Apostolicis, ac Ecclesiæ committitur Græcis non solum Literas ad quæstuationem spectantes, sed etiam pecunias quasitas adimere.

Præsentium Literarum firmitas.

Derogatio contrarium.

CLXXVII.